PHILIPPI RVBENI ELECTORVM LIBRI II.

In quibus antiqui Ritus, Emendationes, Cenſuræ.

EIVSDEM

ad IVSTVM LIPSIVM Poëmatia.

— Es De san Alberto de Huesca Carmelitas Calz.os —

ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
1608
cIↃ. IↃC. VIII.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

NOBILISS. ET AMPLISS.

DOMINO IOANNI RICHARDOTO SENATVS BELGICI PRINCIPI.

EXimia profectò dignitas eſt eorum qui ſedent in puppi, clauumque Reipub. tenent ac gubernant. Sunt enim arbitri rerum humanarum, imò velut mens & anima ciuitatis, ac ſupremi rectoris vmbra quædam & imago. Verùm hanc fortunam vt multi cupiunt, ita pauci numero capiunt. Ad ſcientiam principem & dominam (ita ciuilem hanc Peripateticorum ille coryphæus indigitat) magnis opus eſt præſidiis & adiumentis. Habet ampliſſimus iſte honos ſuum onus, cui ſuſtinendo prudentiâ ac virtute, quaſi gemino tibicine, fulciri debet. *Plura* enim, vt benè animaduertit hiſtoricorum prudentiſſimus, *in ſummâ fortunâ auſpiciis & conſiliis, quàm telis & manibus geruntur*. Idcirco dux ille Græciæ, quod præclarè notat eloquentiæ Romanæ antiſtes,

PHILIPPI RVBENI

ELECTORVM LIBERI I.

CAPVT I.

Mos antiquus in opidis condendis. Depalare quid apud Tertullianum. Vrbs vnde dicta.

DIVERSA ſunt hominum ſtudia,

* Καὶ ἄλλος ἄλλῳ κερδίλεω ἰαίνεται.

Me quidem, vt verum proloquar, antiqua delectant. Quippíni? inter vetera tot monimenta, quæ paſſim in oculos incurrunt,

——— * σέβας δ' ἔχει εἰσορόωντα.

Itaque paullatim è Scriptoribus collectum imus, quæ maximè eò facere videntur, vt varijs inter ſe locis comparatis & quaſi colliſis abſtruſum veritatis lumen effulgeat. Specimen aliquod in his libellis vnà cum Criticis dabimus, & initium quidem ab opidis condendis, ominis cauſâ, ſumemus. Primùm igitur obſeruo, palis ſiue terminis, qui opidum conditurí eſſent, ſpatium ei deſtinatum ſignaſſe & finiſſe. Liuius lib. I. Pomerium dicit eſſe *circa murum locum, quem in condẽdis vrbibus quondam Etruſci, quà murum ducturi erant, certis circa terminis inauguratò conſecrabant.* Ex quibus verbis, non tam muri locum, quàm largiùs quicquid pomerij eſſet, terminabant. Ita & Varro IV. De L. L. *Cippi pomerij ſunt circa Romam.* Tacitus de Româ vetere, lib. XII. *Inde certis ſpatijs lapides per ima montis Palatini.* Tertullianus hoc dixit meo animo, *Depalare.* vt in Apologet. cap. IX. *Mons, quem incoluerat, Saturnius dictus; ciuitas, quam depalauerat, Saturnia vſque nunc eſt.* Et Metaphorâ ſcitâ; aduerſus Hermog. cap. XXIX. *Omnia opera ſua Deus ordine conſummauit,*

* *Et alia res alij voluptatem creat.*

* *– habet ſtupor aſpicientem.*

ICONISMVS APICIS IN LAPIDE
CLIVI CAPITOLINI.



Corn. Galle sculp.

PHILIPPI RVBENI

A D

IVSTVM LIPSIVM

POEMATIA.

ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
cIↃ. IↃC. VIII.

LABORE ET CONSTANTIA